
326

J. Voet

B


109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

326 B 109.

JOHANNIS VOET

J. V. D. & Anteceſſoris

ORATIO

DE

JUNGENDA ROMANI

ET

HODIERNI JURIS

SCIENTIA.

Recitata Lugduni Bat.

Cum Juris Practici Profeſſionem ſuſciperet

XXIX. Martii CIƆ IƆ C LXXXVIII.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOHANNEM VERBESSEL.

M. D. C. LXXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

PERILLUSTRIBUS,

ET

MAGNIFICIS,

Academiæ Lugduno Batavæ

CURATORIBUS,

D. DANIELI VAN WYNGAARDEN, Baroni de Wyngaarden, Benthuyſen, Ruybroek &c. Domino de Werckendam, Moermond, Reneſſe, Zuydland, Noordwelle &c. Equeſtris Hollandiæ Ordinis nomine ad conſeſſum Celſiſſimorum Fœderati Belgii Ordinum Generalium Delegato, molium urbis Woerdæ & foſſarum, totiuſque territorii præfecto, in ſuprema molium Delflandiæ Curiâ Aſſeſſori, Exlegato &c.

D. HIERONYMO DE BEVERNING, J. C. Theilingæ Toparchæ, Reipubl. Goudanæ Conſulari, Exlegato &c.

D. CONRADO VAN BEUNINGEN, J. C. Reipubl. Amſtelodamenſis Conſulari, Exlegato &c.

Eorum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Eorumque Collegis

Reipublicæ Lugdunenſis Conſulibus Nobiliſſimis, Ampliſſimis,

D. JOHANNI VAN VESANEVELT, J. C.
Conſulum Præſidi.

D. JACOBO VAN DEN BERGH.

D. DANIELI VAN ALPHEN, J. C.

D. JOHANNI GOES VAN ABSMADE, J. C.

NEC NON

Conſultiſſimo & Eruditiſſimo Viro

D. PETRO BURGERSDICIO, J. C.
Reipublicæ Leydenſis Syndico, & Illuſtr. DD.
Curat. a Secretis.

Hanc diſſertationem grato animo inſcribit

JOHANNES VOET.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Magnifice Univerſitatis Rector.
Illuſtres ac Nobiliſſimi, Dignitatibus & Legationibus Inclyti Academiæ Curatores.
Nobiliſſimi Ampliſſimi Prudentiſſimi Reipublicæ Leydenſis Conſules, ac Judices, quique iis eſtis a Conſiliis & Secretis.
Viri Clariſſimi Collegæ Honorandi.
Venerandi verbi divini Præcones.
Cives ac hoſpites natalibus, honoribus, Doctrina conſpicui.
Tuque ſpes Patriæ, ſpes Eccleſiæ, Florentiſſima juventutis Corona.

Quoties penitius artium plurimarum contemplor initia, exilia plerumque illa fuiſſe deprehendo, ac pro temporum hominumque, quibus natæ fuerunt, ſimplicitate tenuia: quæ tamen deinceps fertilium ac bonum in finem luxuriantium ingeniorum fœcunditate

ditate non contemnenda ſumſiſſe incrementa exploratum eſt, dum alia probe inventis feliciter addita, eaſdem non ab interitu tantum, rebus recenter excogitatis haud raro imminente, vindicarunt; ſed & majore cum applauſu fecerunt recipi, ſtudioque intenſiore coli a gente mortalium, ac ad communes tum publicos tum privatos traduci uſus. Nullo ſcilicet ſeculo, nulla generatione ſic univerſa occupante, ut non alia naſcituræ ſupereſſent poſteritati, in quibus ſuam ulterius operam collocaret ac diligentiam. Ne longiore vos ſermone morer, auditores, artis noſtræ fata variique caſus luculento poſſunt eſſe teſtimonio: quamvis enim levioribus ex principiis tandem, autore Juſtiniano, ad inſigne fuerit evecta faſtigium; ita tamen plurium deinde ſeculorum barbarie oppreſſa jacuit ac paſſim ignorata, ut in univerſum prope obliterata fuiſſet veneranda ipſius memoria, æternâ velut nocte ſepulta, niſi Irnerio obſtetricante e latebris in lucem protracta, ac repetitâ quaſi nativitate ex ſuis reſuſcitata cineribus, viſa fuiſſet nova rurſus exordia accepiſſe. Quì vero tunc primitus rudiore fuerit tractata Minervâ a ſui cultoribus: quì dein ſuperiore & hoc ipſo ævo magis in pompam elata, eruditionis omnigenæ liberalioris apparatu, ceu lauto picturarum variantium ſplendore, plenius inſtructa fuerit ac paſſim doceatur, ut penes harum rerum non prorſus ignaros prolixius ediſſeram, ſupervacaneum exiſtimo. Et licet tandem non defuerint, quibus allubuit exemplo optimo circa plures Romanorum leges abrogatas, uſuſque patrios ſubſtituendos,
lauda-

laudabilem impendere utilemque induſtriam ſuis ætatem laturis lucubrationibus, ne, qui in forum tranſlati, temere illis ſubinde niterentur fundamentis, quæ abolita neque momentum ullum cauſæ litigioſæ adferre poſſunt neque auxilium: an tamen hæc ipſa Academicâ etiam inſtitutione perfectius inculcari queant, ac a ſtudioſâ hauriri juventute, ejus vix hactenus periculum ſerio fuiſſe factum, in aperto eſt. Id vero tentandum reſtare non ſine ratione cenſuiſtis, Viri illuſtres ac nobiliſſimi, Academiæ Curatores magnifici, dum novo honoris augmento mihi ſolenniter *Practici juris* docendi demandaſtis provinciam: arduam quidem illam ac laborioſam, ſed vobis patrocinantibus alacrius ſubeundam. Benignum veſtrum de me meiſque judicium, ac, quam adeo impenſe ſignificaſtis, benevolentiam, uti maximum ſentio eſſe beneficium, ita quoque ad animi grati teſtationem ampliſſimam me obſtrictum, profiteri non deſinam; memoremque in perpetuum, ut ut luculento præconio me palam hæc promittere nunc neque jubeatis neque velitis, Viri Nobiliſſimi, conſervabo mentem. Id unum obnixe rogans, ut deinceps veſtris ſub auſpiciis, aſpirante veſtræ benignitatis aurâ, liceat mihi læto expeditoque hoc ſtadium decurrere: liceat hanc animo concipere fiduciam, fore, ut, quemadmodum in deferendo hoc novo munere fuiſtis faciles, ita quoque in probandis meis laboribus difficiles haud ſitis extituri. Sic enim fiet, ut, dum veſtrum mihi ſperare audebo favorem veſtrumque præſidium, etiam non ſim de rebus meis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Spartæ recentis ſucceſſu in totum deſperaturus.

Cum autem conſuetudo inveterata prope extorqueat, ut de ſe ac ſuis quiſque publice dicat inſtitutis, ubi diſciplinæ alicujus curam ſuſcipit ac propagationem; patiamini, obſecro, Auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, liberiore me voce coram vobis ea depromere, quibus perſuadeamini, utilem pariter ac neceſſariam eſſe Academicam non Romanæ tantum, ſed & hodiernæ jurisprudentiæ explanationem: quo accuratius univerſi juris, quod in uſu eſt, imbuti principiis legum Candidati, confeſtim derelictis diſcentium ſubſelliis uberiore cum fructu ad forenſia poſſint accedere negotia, ſuamque non clientibus tantum, ſed & ipſis Curiarum Patribus conſcriptis commendare peritiam.

Immutabilem eſſe ſibique ſemper conſtantem, quam profitemur, Juſtitiam, ut ut vulgatum ſit; eandem tamen firmitatem non ideo quiſquam æque legibus adſcripſerit. Sufficit nempe Juris Sacerdoti, ſingulis ſufficit, ſi ſtabilem ſervent perpetuamque voluntatem tribuendi cuique quod leges dictaverint; quamvis has ſæpe in deſuetudinem abire, vel expreſſà ſanctione ſurrogatis aliis aboleri contingat, ſuaque penitus autoritate deſtitui. Quemadmodum enim mutata veſtis, eaque vel hilarior aſſumta, vel ſeverior, nunc laxior fluidiorve, mox iterum adſtricta magis, nihil ipſi homini hiſce circumdato ſolet detrahere; ſic nec mutata pro temporum varietate ac mortalium conditione jura quicquam in ipſà innovabunt juſtitia, aut aliam ei dabunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

bunt faciem; ſed ſtabit ipſa immota, immutabilis, ſemper ſibi ſimillima, quibuſcunque ſive aſperioribus ſive mitioribus inſtitutis, velut totidem variantibus veſtimentorum generibus, amicta fuerit. Ut proinde Divæ noſtræ Themidi id fere accidat a legumlatoribus, quod pictorum peritioribus in more poſitum; dum repræſentatis fideliter vultus lineamentis, reliquam corporis partem ſic ævi vetuſtioris illuſtrant velamentis, ut tamen horridiora priſcorum ornamenta ſeculo hinc delicatiori diſplicentia, tanquam deformatura, omittant, aliis cultus mollioris indiciis eorum loco ſubſtitutis. Et certe, ut in rerum naturâ non omnia ſemina aut plantæ eâdem foventur conſervantur atque fœcundantur tellure, eodem calore curandique modo; ſed alia blaudiore indigent radiorum ſolarium ignium que fomento, ac terrâ fertiliore; alia felicius in umbrâ, ſub Jove frigido, ſoloque ſaxoſiore creſcere ſolent ac ſoboleſcere: atque ut non eadem gentibus ſingulis publici regiminis allubeſcit ratio, dum aliæ magis dominico quaſi jugo intra officii terminos tenentur conſtrictæ, aliæ ſatius paterno a magiſtratibus ſuis ſic amant gubernari imperio, ut precario prope morem iis gerere videri velint, ac a rogantibus magis quam jubentibus mandata accipere; illis alioquin nimiâ remiſſione, his auſteritate nimis acerbâ in proprium prolapſuris atque ruituris exitium: ita quoque leges eaſdem non omnibus pariter quadrare populis, non rectâ tantum ratione, ſed & aſſiduâ omnium retro temporum memoriâ, comprobatum conſtat. Quis enim, obſecro, juſtum arbi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

tretur, eadem ſeveritate manſuetos regi, quâ in ordinem cogenda eſt diſſoluta ac belluinis moribus atque libidinibus inquinata turba? pari rigore legum aſperiorum vinculis compeſci parere ſuetos ac vitâ compoſitos, quo illi, qui inculti, necdum truci poſita feritate, brutorum inſtar, vagi palanteſque per in hoſpita loca & hirſutas frondibus ſylvas, nullius imperio obtemperare didicerunt aut juſſa capeſſere? Quin potius, ut aliter educandi a patref: refractarii liberi, aliter illi, quorum magis tractabile apparet ingenium; ita & juribus durioribus neceſſe eſt civilem conſervari ſocietatem inter eos, qui truculentis etiamnum utuntur moribus, quam qui benigniore ſub aëre nati, aut ad manſuetudinem ſeſe componere diuturno edocti uſu, mitioribus quoque præceptis vivere aſſuefacti ſunt. Stant ſcilicet ſuæ genti cuique leges, ſtant mores ex genio populi, telluris ratione ac ſitu, educationis ordine, confinium inſtitutis non raro diverſi: atque ut nationum ſingulas ſua concinne veſtis exornat, aliena vero ac peregrina dedecorant ornamenta, nec velaminis exotici ſatis commodus in aliâ regione alio ſole calente uſus eſt; quin & eodem in loco, pro diverſâ aëris temperie annique tempeſtate, aliô atque aliô veſtitu opus eſt, vel hybernis frigoribus vel uſtionibus æſtivis accommodato: ita & non mutatâ tantum tellure, ſed & eâdem in orbis plagâ, moribus populi transformatis, actiones ſubjectorum fas eſt aliis regi conſtitutionibus, aliiſque imperantium placitis circumſcribi. Quo fit, ut quandoque, quod olim juſtum fuit, nunc velut mutatâ

ſcenâ

ſcenâ tale eſſe deſinat; ac forte penes ſeros nepotes, verſo rurſus cardine, dum alio iterum ſtabit ſocietas humana talo, priſtino loco & honori jure quodam poſtliminii reſtituenda ſint, quæ nunc ut inepta noſtris improbanda videntur legum autoribus. Solius ſane juris naturalis, ſeu Divini moralis illuſtris prærogativa eſt, quod divinâ quâdam providentiâ conſtitutum ſemper firmum atque immutabile permaneat; cum ex adverſo ita fere cum humanis ſit comparatum inſtitutis, ut, quemadmodum ipſi homines & res cæteræ, in annos dieſque ſint mutabiles, & fato quaſi quodam ſuo ac climactere vertantur & conſeneſcant, naſcantur iterumque tandem ad ſuum vergant atque feſtinent interitum. Aliter civilibus de legibus condendis ac conſervandis ſi qui cenſuerint, nec ex populi cujuſque præſenti conditione, ſed nudo ex ratiocinio deprompta jura, velut juſta & æqua, putarint omnium horarum terrarumque mortalibus præſcribenda eſſe, verendum profecto, ne idem iis accidat, quod, Athenæo teſte, legibus a Platone latis: quippe quas, licet ab autore maximo divinoque, ut ajebant, profectas, cives tamen Atticos contemtui habuiſſe ac deriſiſſe, dum interim Draconis Soloniſque probabant placita, memoriæ proditum; eo quod non videretur hominibus, qui ubivis ſunt, jura dediſſe, ſed iis, quos ſuâ finxerat imaginatione; ut, qui iſtis parituri eſſent, etiamnum forent perquirendi. Atque hinc eſt, quod, licet populi recentiores juris ſui tabulas fere componendas arbitrati ſint ad normam earum, quibus gentes antiquiores feliciter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

liciter vixiſſe experti fuerant; plura tamen, ut ſibi non ita convenientia, prætermiſerint, alia de novo addiderint, non adeo illis nota, a quibus alioquin ſua fuerant jura mutuati; quin & propriis tandem, quæ quondam placuerant, ipſi miſerint repudium, alia inſtituta poſtulante ob mutatam civium temporumque conditionem æquitatis ratione. Ne quid de Mercurio Triſmegiſto Ægyptiis, Minoë Cretenſibus, Zeleuco Locrenſibus, Lycurgo Spartanis, aliis aliarum Græciæ civitatum celebratis famâ legiſlatoribus, prudenter explorato gentis ſuæ ingenio jura olim dictantibus, commemorem, vel ſolam conſideremus Athenarum urbem, illum totius Grajæ telluris ocellum. Sanxerat leges quaſdam in incolarum ejus utilitatem Triptolemus, quas dein vel nimia obſoletas vetuſtate & antiquitatis decrepitæ velut ſquallore obſitas, vel non ſufficientes, Draco inſtaurandas cenſuit ac augendas, amaras quidem illas & ex pœnarum rigore ſanguine magis quam atramento ſcriptas, dum acerbitatem ulciſcendi maleficii credebat incomptis hominibus bene atque caute vivendi diſciplinam fore. At cum ſubactis paulatim & ad humanitatis ſenſum majorem reductis ferinis animis ferreiſque moribus, miteſcere cœpiſſent Athenarum indigenæ, artium ingenuarum uberiore emolliti cultu; Solon ſeveriores plures, durioreſque quam ut tolerari diutius poſſent, tollendas cenſuit, ac cum mitioribus aliis commutandas: expendens ſcilicet, ceſſante priſci ævi duritie, & impuris hominibus non ita quietem communem turbantibus, ceſſare quoque oportere ni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

miam illam, quæ prius expedierat, ſanguineamque aſperitatem. Et quamvis deinde tyrannorum rriginta Athenis impoſitorum libidine una cum ipſâ fuerint protritæ Republicâ; mox tamen eâdem ſibi per Thraſibulum redditâ, etiam non revocatæ tantum, ſed & novis ex uſu civium publicoque bono additis auctæ, ſic priſtinam fecerunt ejus gloriam reviviſcere, ut, reſumtis animis reſumtâ potentiâ, civitatis pulcherrimis legibus inſtitutiſque formatæ, civibus omni doctrinarum genere politis inſtructæ, laudem meruerit; ſapientiæ, juſtitiæ, eloquentiæ, artiumque humaniorum per plura ſecula auguſta ſedes. Nec longe hinc receſſere Romani: cum enim horum urbem ſurgentem necdum orbis, ceu populorum regumque terrorem adoraſſet, cum nondum fulgentes aquilas & ſigna victricia cum ſtupore conſpexiſſent expertæque fuiſſent remotæ proprinquæ gentes, ſed collecta paſtorum ac ſceleratorum manus, rudibus animis, etiamnum Reipublicæ conſtitueret primordia; nonne Romulum vidimus, & ipſum incultum ſævumque, ceu ferinis lupæ nutritum mammis, adeo duris eos coërcuiſſe imperiis, ut tandem a ſeveritatis nimiæ pertæſo Senatu diſcerptum fuiſſe, non levibus fuerit propalatum autoribus? Et quanquam deinceps Numa religionibus, & Tullus & Ancus & Servius Tullius aliique legibus variis ferocem ſtuduerant devincire populum, & ad humanitatis normam pedetentim redigere; quin tamen, excuſſo jam regum jugo, plurima ſuperfuerint vetuſtæ feritatis paſtoralis veſtigia, dubitare non ſinit compre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

henſa duodecim tabulis, in quibuſdam aſperitas, ut ut eam apud Gellium Sextus Cæcilius ſpecioſâ voluerit diſſertatione excuſatam. Quis enim veſtrum non durum judicet, ſi invitus obtorto collo injectá per actorem manu reus in jus rapiatur, non inquiſito, juſtam an nullam habeat tergiverſandi pediſve ſtruendi cauſam? Quis non acerbum cenſeat, morbo vel ætate ægrum atque invalidum, non ſtratâ arcetâ, ſed jumento impoſitum, ex domo propriâ, tutiſſimo illo cujuſvis refugio, ad prætorem novâ funeris facie efferri in comitium? Quis non immane exiſtimet, inopis miſerique debitoris diſtractos laniatu crudeliore artus fruſtilatim in ſolutum ipſius concedi creditoribus? Quæ tamen ipſa aliaque innumera priſci rigoris monumenta ſic tandem vel poſterioribus Quiritium mutata ſunt legibus, vel plurium ſeculorum decurſu ac longa ætate Romano conſeneſcente ac decoquente imperio evanuere, ut vix in paucis juris, in Reipublicæ infantiâ ac adoleſcentiâ recepti, illibata remanſerit vis atque autoritas, veriſſimumque fuerit, quod Favorino Philoſopho idem Cæcilius; legum nempe oportunitates & medelas pro temporum mo-
„ ribus, & Rerum publicarum generibus & utilita-
„ tum præſentium rationibus, proque vitiorum
„ quibus medendum eſt fervoribus, mutari atque
„ flecti. Quid enim, inquit, ſalubrius viſum eſt,
„ rogatione Stolonis jugerum de numero præfinito?
„ quid utilius plebiſcito Voconio de coërcendis
„ mulierum hæreditatibus? quid tam neceſſarium
„ exiſtimatum eſt propulſandæ civium luxuriæ,

„ quam

„ quam lex Licinia & Faunia, aliæque item leges
„ ſumtuariæ? omnia tamen hæc obliterata & oper-
„ ta ſunt civitatis opulentiâ, quaſi fluctibus qui-
„ buſdam exæſtuantis.

Hæc ſi aliis evenere gentibus adeo prudentiæ ac juſtitiæ laude celebribus, adeo domi foriſque beatis (Quid enim Greciâ, quid Athenis cultius? quid ſapientius? quid Româ potentius, illâ ſic armatâ legibus, ſic armis decoratâ?) ut jura, quæ quondam placuerant, tollerent ſubverterent, eodem licet manente ſolo, eodem cœlo, eodemque ſole, temporibus tantum hominibuſque mutatis; quid mirum, obſecro, ſi & apud nos populoſque vicinos non omni ex parte juris Juſtinianei ſerventur dictata, ſed pro Belgarum ſimplicitate ac candore multa legibus, plura conſuetudinibus, innovata appareant? ſi multi vicatim oppidatim provinciatimque vigeant mores vetuſti, jura a majoribus accepta ac veluti per manus tradita, quæ nec ubique rationem certam, nec certa ſatis habent initia, ſed vel dubia, vel obſcurâ antiquitatis nocte preſſa, ex eo tamen potiſſimum etiam nunc arridentia, quod a civium genio ac vivendi ratione necdum videantur prorſus aliena. Hinc typis deſcripta locorum prope ſingulorum jura municipalia: hinc ſpiſſa placitorum provincialium volumina: hinc calculo communi probati uſus, partim vulgatis gentis expreſſi parœmiis, partim unanimibus patriæ conſuetudinis peritorum reſponſis indubitati. Quibus ſi nationum affinium addantur inſtituta, non ſatis tuto in univerſum negligenda, nemo amplius,

ut opinor, iverit inficias, quin multa futuro reſtent addiſcenda Juriſconſulto, poſtquam non contemnendam ſuà induſtrià conſecutus fuerit Juriſprudentiæ Romanæ peritiam. Non hic occupabor, auditores lectiſſimi, neque veſtrâ abutar patientiâ, in recenſendis prope infinitis, quæ in hac vel illâ facti ſpecie circa contractus, dominia, & alias pleraſque juris partes nunc aliter determinanda, quam prudentum in Pandectis reſponſa ferunt, aut Principum Romanorum jubent decreta: neque enim illud unius horæ, quâ circumſcriptus dicendi mos, nec modici temporis opus fuerit. Suffecerit in præſenti pauca tantum in ſuis delibaſſe extremitatibus, ac velut ſummo tetigiſſe digito, quæ notabiliorem hodierni juris conſtituentia portionem, aliunde quam Romanis ex fontibus frequentius haurienda: dum vel priſcis terræ Latialis incolis ignota prorſus; vel parum penes eos ſervata, nunc magnâ orbis Chriſtiani prope univerſi conſenſione recepta inveniuntur, & inſigniter uſu crebriore adaucta; vel cum quondam placuiſſent Quiritibus, nunc magnâ ſui parte deprehenduntur imminuta. Quid vobis proponam jura fendorum, ſive vulgatis Oberti & Gerardi aliorumque tractata libris, ſive Belgarum ex conſuetudinibus luculenter explanata, & ad hodierni fori tranſlata uſus? Quid hominum rerumque ante litem conteſtatam detentiones, ſive rei ſervandæ, ſive juriſdictionis firmandæ cauſâ fieri ſuetas? Quid gentilitii alteriuſve retractus utilitatem? Quid multiplicatas in immenſum vel emendatas navales leges? cambiorum commoda? conſti-

tuto

tuto periculi pretio ſecuritatis adverſus incerta maris uſum? Quid amplificatam in uxores ac opes earum maritalem autoritatem? diminutam ex adverſo, & certis inſuper annis tantum adſtrictam, ac æquo fere jure patri matrique tributam in liberos poteſtatem, aliaque plura longâ enarrem ſerie? Vel unam intueamini, quæ Romuli diſplicuit nepotibus, ſive bonorum omnium ſive quæſtus ſolius induſtria conjugum ac labore parti communionem. Stabat togatæ genti, ſuum oportere conjugi utrique non diſtinctum modo remanere patrimonium, ſed & ſalvam uxori dotem in ſubſidium marito collatam: hanc de cætero non damni non onerum matrimonii, ſed nec lucri, durante licet connubio quæſiti, reddi participem: juſtâ forte temporum & regionis illius ratione; ne vel turpi captato compendio promovendum cenſerent facultatum incrementum mulieres magis illic in libidinem luxuriamque proclives; vel, ſi maxime Lucretiâ caſtiores eſſent, penes maritos tamen, quandoque parum tribuentes feminarum integritati, in flagitii turpiſſimi ſuſpicionem inciderent, etiam cum artibus honeſtis rei familiaris quæſiviſſent augmenta. At nunc, ut honeſtior ſimpliciorque telluris hujuſce ſexui ſequiori ſedens ſententia, & mediocris conceſſa libertas, illiciti lucelli præſumtionem amovet; ita & magis probata noſtratibus vel rerum omnium, vel emolumenti ſaltem quotidiani damnique inter conjuges commixtio; ut qui divini & humani juris, qui corporum inter ſe communicatione gauderent, patrimonio non eſſent in univerſum diſtincti: ſive jus illud a priſcis videatur

accerſitum Germanis, qui inter ipſa nuptiarum ſolennia monitam voluere ſponſam, ſe laborum periculorumque ſociam venire, idem in pace in prælio idem paſſuram auſuramque: ſive uſitato tribuatur mori ſtipulandi communionem, inter majores noſtros ob affulgentem ex mercaturâ emolumenti ſpem ſic ſrequentato, ut tandem in aſſiduum jus tranſierit ac juriſdictionem. Quicquid enim de hujus diſceptetur origine, illud utique expeditiſſimum, concordiæ conjugalis, dum viverent, ſtabiliendæ & induſtriæ promovendæ gratiâ, hoc quicquid eſt fuiſſe receptum. Quis enim eſt, qui non agnoſcat, ut paſſim alibi, ſic & in connubio dirimi non raro individuam illam vitæ conſuetudinem, ac animorum conjunctionem crebris inter conjuges ferventibus de *meo* & *tuo* diſſidiis, langueſcere vigilantiam, ſocordiam intendi, & quæſtuoſa negligenter haberi negotia? Quis iverit infitias, quin ex adverſo majore ſtudio, diligentiâ exactiore, conſtantiore amore mutuo, lucro pariter & parſimoniæ operam daturi ſint, ubi, ſublatâ hâc peſſimâ diſcordiarum face, omnem ſciunt proſperam adverſamque fortunam commmunis fore lucri atque diſpendii. Quæ tamen aliter pactis dotalibus, quorum innumerus ac ſine fine modus eſt, caveri poſſe, cum conſuetudo permiſerit; quantæ obſecro inde, quamque frequentes ſoluto matrimonio contentiones, quanta diſſidia! Sane quid lucri quid damni appellatione veniat, quo ſe bonorum porrexerit communio, quæ e contrario non fuerit complexa, quæ vir mulierve ſuperſtes, quæ viciſ-

viciſſim defuncti ſucceſſores commoda ferant, quæ ſubeant diſpendia, uti inter privatos acerrime diſquiritur, ita in his atque aliis indies diſcutiendis magno etiam animo occupatos eſſe cauſarum oratores, diſtringi tribunalium judices, nemo neſcit, niſi forenſium plane negotiorum expers. Quæ univerſa ſi & tunc ſæpe ventilari quotidiana teſtetur experientia, cum concors ſtetit contrahentium conſenſu & amicorum fide firmatum conjugium, in quo ſic inter utramque vixere facem thori conſortes, ut natura monebat, ſuadebat ratio, leges poſtulabant, ſine jurgiis ac rixis imperium mite exercente viro, uxore obſecundandi gloriam ambiente; ubi foris non quærebatur, quod domi poterat inveniri, ſed quicquid conceſſæ voluptatis erat, unius conjugis gremio clauſum credebatur atque obſignatum; ubi felix animo, amata viro *Nigrina*, caſtumque viciſſim ſpirans amorem, patrios miſcere voluit cum jugale cenſus, eumque majore, quam Euadne vel Alceſtis, proſecuta pietate, ipſi tumulo urnæque ſacræ invidet dilectas ſui quondam mariti reliquias: quanto magis immortales metuendum eſt imminere diſſenſiones, inter diſcordes animos cæco etiam impetu, nec ſine rei familiaris everſione, ſubinde agitandas, ubi nuptiis inauſpicatis vir uxori ſpolium, vel uxor viro præda fuit; & intractabile Xantippes ingenium, irarum ac moleſtiarum per diem noctemque ſatagens, ſuas in maritum perpetuo edebat intemperies; aut ubi frigidior ſaxo *Lentinus*, in conſiliis canitie venerandus, ſed juvencularum in cœtu ludibrium, ſibi non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

bi non amore, ſed amplâ largitate ſponſalitiâ, redemit plenis nubilem annis puellam, & glacialium amplexuum viduique prope thori defectu profuſa liberalitate ſuppleto, concordiam indies viſus fuit pretio potiſſimum conciliaſſe; vel ex adverſo *Vetuſtinæ* effœtæ, cui bruma Auguſto menſe eſt & frons annoſâ quercu vel ſtolâ rugoſior, impare congreſſu ſeſe junxit adoleſcens, bono nummorum pellectus odore; at pariter ſpe illâ ſeſe lactans, fore, ut poſtridie nuptiarum algenti eat exequias, atque ita lucroſà ipſius dote auctus, protinus ad alia cum ſibi pare feſtinet connubia. Quibus omnibus, ſi non ſponte ſatis litium præberent materiam, & meſſem uberem in foro verſantibus, accedunt tandem perplexæ ex legum provincialium & municipalium diverſitate, ac prope ineluctabiles viris exercitatis, difficultates. Quamdiu enim omnes uni in orbe Romano parebant Principi, ſas fuit univerſos iiſdem quoque legibus vivere, vim ſuam omni in loco pleniſſime exſerentibus. At poſtquam diſſipatà illa potentià, variis cœperunt magiſtratibus ſubeſſe diſtractæ multifariam vaſti iſtius imperii partes, ſingulæque ſua peculiaria ſervare jura, fieri aliter haud potuit, quam ut acerrima ſæpe occurrat & anceps diſquiſitio, ad quas perſonas, res, aut actiones, ſeſe placitorum ſtatutorumque extendat autoritas. Ut enim olim Deorum nullus extra ſuum credebatur regnare cœlum, ſed Olympo Jovem, Plutonem Orco, mari Neptunùm leges figere fabulabantur, ita quoque ſinguli jurium a ſe receptorum ſtudioſiſſimi, ſive Reges, ſive par Regibus haben-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

habentes imperium, paremve legis ferendæ poteſtatem, alienæ gentis decretis haud facile patiuntur ſuos gubernari aut vivere ſubjectos: humanarum ſcilicet actionum juſtitia vel injuſtitia magnam partem non a certis æquitatis aut rationis rectæ regulis, ſed legiſlatorum arbitriis pendente. Optandum quidem fuerit, confines populos, fœdere præſertim tam arcto junctos, adeo vivendi ratione vix in paucis diſtinctos, eodem etiam jure uti, iiſdemque ex inſtitutis ſuam petere agendorum normam. Sed & optandum id magis eſſe votis inanibus, quam ſperandum, res ipſa loquitur; dum ſui quiſque moris a majoribus accepti tenax, ſuæque poteſtatis acerrimus defenſor, imminutam crederet ſuam majeſtatem, ſi in alterius civitatis gentiſve jura, ceu magis apta & æqua, videretur concedere. Ne quid enim de regionum diverſarum pugnantibus in medium adducam inſtitutis, quarum quæque ſuas ſibi leges integras intactaſque deſiderat; vel obiter tantum conſideretis, velim, Auditores, quantas curas in hàc noſtrà, quæ duplici jure ſuccedendi, Aeſdomici Scabinicique nominibus claro, etiamnum utitur, Celſiſſimi ac præpotentes impenderint Proceres, ut unam ſimplicemque in tota Hollandia ſtabilirent hæreditatum devolvendarum rationem: quì difficillimis temporibus anno poſt milleſimum & quingenteſimum octogeſimo, emendatà in quibuſdam utriuſque juris illius duritie, ſperaverint in luculentam utrumque conſonantiam erectum iri; ſed vano tandem poſt varia conatu, eventu irrito; dum plures iſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

acquieſcere edicto detrectabant urbium ac reſpondentium iis vicorum rectores, ſatis id arguente ea conſtitutione, quæ poſt annorum circiter undeviginti interſtitium promulgata, juris Aeſdomici in pleriſque præfert principia. Neutrà quidem parte nunc leges alterius iniquitatis damnante, dum & teſtamentis & tabulis dotalibus, eligendi juris alterutrius liberrima cuique poteſtas eſt; ſed tamen vetuſtum majorum morem, antiquitatis veneratione, religioſe ſervante, quoties expreſſà voluntatis enixæ teſtificatione non aliud fuerit a ſubjectis diſpoſitum. Quotquot vero ex hàc jurium diſcrepantia dubitationes emergunt, quotquot in judiciis agitantur controverſiæ, quæ dudum doctiſſimis exercuerunt cauſarum patronos, accuratiſſimos legum municipalium explanatores torſerunt, ac verſatiſſimos fatigaruut litium diribitores; non equidem ſatis haſce in Juſtinianeis inveneritis deciſas voluminibus, aut a juris civilis interpretibus excuſſas, niſi forte ob utilitatem libuerit in paucis extra artis illius evagari pomeria: ſed potius, ceſſante lege, quam populus nequit alteri dare populo, ſolius rectæ ſimpliciſque rationis dictata obtinebunt, jurgium finitura; niſi ſi quæ de ſummi juris rigore remittenda eſſe utrimque ex comitate ſuaſerit vicinitas, mutuuſque juſtitiæ propagandæ favor, ſive id ſola comitas exigere viſa fuerit, ſive accedens inſuper expreſſa firmaverit conventio. Nec tamen ideo quiſquam nos eo arbitretur properare dementiæ, ut ſuperflua crederemus aut inepta judicibus cauſidiciſve jura Quiritium, vel abſterrendos a Juriſprudentiæ Romanæ cultu diligentiore ſurgen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

ſurgentes in patriæ familiæque ſpem juvenes eximios, perinde acſi non aliorum eſſent quæſituri ſcientiam, quam quæ vel dediſcenda forent, vel majore ſaltem ex parte negligenda, quam primum derelicto pulvere ſcholaſtico patrios ſedulius eſſent tractaturi mores. Abſit, Auditores, ut tam informe aleremus & inficetum opinionis monſtrum, ſuis, quibus natum eſt, relinquendum autoribus! abſit, ut ob nonnulla mutata ſuam juri civili in aliis innumeris detraheremus autoritatem, aut quorundam ex inſcitia inclinatum plus juſto vigorem ulterius deprimendum putaremus, cui fulciendo, ne prorſus collabatur, nos pro virili non obſtrictos tantum profitemur, ſed & paratiſſimos! Si qui nunc forte nævi in eo inveniantur, aut lapſu temporis ac vetuſtate nobis haud ſatis congrua, quæ tunc reapſe juſta & æqua; non ideo hæc reliquam ejus ſuſtulerint juſtitiam, nec venuſtatem & præſtantiam dehoneſtaverint, ſed magis teguntur ipſa atque obumbrantur fulgentiſſimis ſuperſtitis etiamnum in pleriſque æquitatis radiis, ac jubare ſplendidiore. Non mihi fert animus, luculenter indubitata juriſprudentiæ Romanæ adducere encomia, multoque minus dubia alia & incerta laudum argumenta magnis advehere conatibus; cum adeo lumine proprio & vera nativaque pulchritudine ſponte niteat, adeo ſeſe uſu quotidiano, quem præbet maximum, commendaverit prudentioribus, ut facile infra dignitatis ejus culmen caſura ſint in præjudicium calumniamque emiſſa iniquiorum tela. Quamvis enim haud diſſimulandum ſit, nec diffiteri quiſquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

cum ratione poſſit, quin in curriculis diſputationum Academicis nonnulla arguendi tuendique ſtudio, poſitis Romani juris principiis, ſubinde aſſerantur, quæ, ut nunc ſunt homines hominumque mores, noſtratibus in uſu eſſe deſierunt, atque ut obſoleta, ſic & antiquis videri poſſent fabulis accenſenda: quamvis etiam veritus haud fuerim nimis religioſos appellare legum civilium obſervatores præconeſque, qui extra illas nil ſapere deſiderantes, vix quicquam occurrere in foro autumant, quod non & Themis Romana ſuis accurate dictaſſet libris: nimium tamen ex adverſo pertinacem eſſe, nimiſque effuſam quorundam licentiam, dicere non erubuerim, qua ſic in Jurisprudentiæ illius odium invidiamque æſtuaut intemperanter, ut eam non in ingens tantum contemptus maximi adducant periculum, ſed & mediis è tribunalibus repelli oportere contendant acerrime, ſoliſque relinqui Doctoribus umbraticis, per eoſdem inutilibus vexandam ventilationibus. Quibus nihil frequentius, quam tralatitium illud, dudum in pleriſque receſſum eſſe a priſcis illis juſtitiæ præceptis, quæ pridem Romanis arriſerant rerum dominis, alia nunc tempora, mortales alios, alia quoque jura non expoſcere modo, ſed & diu recepiſſe. Licet enim ſponte largiamur, ſatiſque adſtructum ſit, non omnia illa Romanis fuiſſe nota legum autoribus, quæ poſtmodum hiſce in regionibus cæperunt invaleſcere: attamen nec cuncta cordatioribus diſplicere certus ſum, quæ nonnulli, dum nimis levi digito Latialis prudentiæ tetigeruut volumina, abroga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

abrogata putant ac rejicienda; pari cum Juliano Apoſtata reſponſo digniſſimi; cui, oblatam Chriſtianæ fidei defenſionem ſe *legiſſe cognoviſſe damnaſſe* glorianti, regeſtum fertur, legiſſe quidem ipſum, at non cognoviſſe; ſi enim cognoviſſet, non fuiſſe damnaturum. Plures certe Juriſperitorum in ordine repertos conſtat, qui, dum non ſatis examinarunt juſtas Romanarum deciſionum rationes, æquitatem quoque crediderunt abeſſe, atque adeo jura civilia ſic ſatis ignorata perperam caſtigarunt, & infelicibus prope obruerunt cenſuris, quæ firmo nitentia fundamento, intacta relinqui debuiſſent & illibata: plures, qui, dum in publicis domeſticiſque ſcholis jus ſegnius, & non ſine mentis torpore, a primo vix ſalutarunt limine, ac multa velut inutilia levi ſuperarunt ſaltu, deinceps in forum quaſi alium in orbem delati, plura nova arbitrantur, uſuique gentis conſtanti tribuunt, quæ tamen placitorum Romanorum non mente tantum comprehenſa, ſed & diſertis expreſſa verbis, manifeſtam talium produnt inſcitiam. Si penes ſolos juris cultores verba facerem, liceret plurimis hæc monſtratum ire: nuuc unum illud monuiſſe juvabit, etiam in ipſis illis quæ ignota olim, recenter introducta ſunt, ac ſolis forte placent Bataviæ incolis populiſque propinquis, non ſupervacaneam, ſed neceſſariam prorſus eſſe legum a Juſtiniano compoſitarum ſcientiam; dum nihil uſitatius eſſe exercitati norunt, quam ut in emendato ac novo jure negotiis ſingulis cauſiſque applicando pleraque rurſus ad accuratiſſimam Themidis Romanæ revocentur li-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

bram ac expendantur, petitis inde ratiocinandi principiis, ac non facile fallentibus arguendi modis.

Sordeſcat igitur hiſce Romani juris ſtudium, parum gnaris, quantus in eo quamque pretioſus theſaurus teneatur reconditus; non ſtet per hoſce, quo minus illud collapſum contritumque triſti funere in tumulum inferatur æternum ignorandum; hujus concuſſi laudem quærant, everſi captent gloriam: contemtui ſint aliis hodierna jura, ceu rabulis tantum commendanda forenſibus; unice placeat Aſtreæ Romanæ cura, ſolæ pelliciant hujus deliciæ: tutius profecto alii prudentiuſque ſic mediam viam cenſuerunt eligendam, ut nec Romani nec Batavici juris ſcientiam aſpernandam putarent aut negligendam; atque uti præjudicium infanti nutrix infert, ſi tantum unum ei uber lactandum præbeat; ſic fraudem non minorem fieri legum ſtudioſis, cum ſola Latialis, non item hodierni juris nutriuntur notitia ac imbuuntur: ſat bene Romanam Belgicamque convenire Juriſprudentiam, & in una recte morari ſede, individuo velut fœdere junctam, mutuiſque feliciter juvandam auxiliis: ſic excolendas ſedulo Quiritum leges, ut tamen neglecta non videantur jura domeſtica: ſic rurſus patrios tractandos mores, ſic conſuetudines, ne in exilium pulſa uideatur Romana Themis, etiam tunc, cum primum ſibi locum deberet invenire: cavendum eſſe, ne filia (ſic enim hodierna libet appellare jura) ne filia matrem, civilis juris autoritatem, ad inſtar viperæ exedat; ſed & in id ſerio incumbendum,

dum, ne ſterilis, & ſine fructu ſperato, ac ſuis inutilis ſit poſſeſſoribus ars boni & æqui laudatiſſima.

Quotquot aliter vaſto juris, prout nunc eſt, Oceana ſeſe committere auſi fuerint, næ! illi levitate nimis inconſideratâ vel non ſatis evitabunt Charybdis pericula, dum mordicus Romulidum adhærent placitis, vel in Scyllam imprudenter illapſuri ſunt, dum gentis togatæ jura nimis ſilentio involvenda putant. Quin deſumendum utrimque, quicquid conſpicuum, quicquid pulchrum hominumque applicitum neceſſitatibus, faciet ſuum cuique tribui, ac paſſim in tribunalibus juſtitiam dominari: Cum ex adverſo manca prorſus ac mutilata ſit apparitura Jurisprudentia, ubi juris alterutrius neglectu laboraverit. Stat ſcilicet hodiernis Romaniſque legibus, ceu firmis binis ſuffultum columnis, Aſtreæ delubrum. Alteram ergo ex his ſi ſubducendam cenſueritis, nonne alto ruet a culmine ac collabetur ſplendidum illud auguſtumque tectum, atque ita propriis impeditum ruderibus, difficilem miſeris, malefidum oppreſſis ad aram juſtitiæ refugium quærentibus, præbebit ingreſſum? Quid? nonne oleum & operam inutiliter eos creditis collocaturos, qui medio in curſu ſubſiſtendum arbitrantur, non ultra de victoriæ palmâ gloriaque ſolliciti? At tales profecto illos exiſtimo, qui ſolà Romani juris contenti ſcientiâ, nullam de cætero curam, nullam induſtriam, quotidianis impendunt, atque ita minus inſtructi in vitæ communis theatrum prodeuntes, nec ſibi nec aliis ſatis profuturi ſunt, aut inſignem publice præſtituri uſum.

Quam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Quamvis vero hæc ita eſſe, vix ulli veſtrum ultra ſperem ambiguum; non tamen ideo quiſquam jure a me expectaverit, ut in hâc nova, quæ mihi obtigit, Spartâ, fori Batavici ritus, ut litium ſolennia, ut judiciorum ambages, quæque in ſingulis ſtratagemata adhibenda, quæ retia, qui caſſes, quæ argutiæ ac fallaces machinationes, verſutique juris præſtigiæ evitandæ ſint, ſigillatim exponam: præterquam enim quod de hiſce forſitan apud exercitatos non aliter, quam apud Hannibalem Phormio de belli legibus, viderer dicturus; inſuper non ſatis utilis in his tradendis opera inſumi poſſet, tum quod non ſolis Hollandici ſoli juvenibus hoc quod ſuſcepi ſaxum volvendum eſt, tum quod in ſcholis non ita feliciter omnia illa & ſingula expreſſeris, quæ majore cum fructu, minore moleſtiâ, agendo ac totam ſerie continuatâ decurrendo litem, quiſque percipiet in eo foro, in quo togatam poſtea militiam eſt ſubiturus: præſertim, cum nihil ſit magis obvium, quam, non ubique judicialia negotia eâdem ſolere methodo expediri, nec eoſdem eſſe quovis in loco labyrinthi judiciarii anfractus aut ſemitas; ut ut Ariadnes filum, juſtitiæ & æquitatis regulæ, exitum tandem ſatis ſecurum commonſtrent. Cum juris principia ſuis in Inſtitutionibus Imperator vellet ſuccinctius expoſita, non ſemel ad majora digeſtorum volumina novos Juſtinianeos ablegandos cenſuit: at ubi de exacto judiciorum ordine, de interponendis judicii cauſa cautionibus, vix pauca leviter delineaſſet, non ad aliud eoſdem, quam ad ipſa tribunalium remiſit exercitia; *omnia iſta aper-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

apertius atque perfectius a quotidiano judiciorum uſu petenda eſſe, & ex ipſis rerum documentis apparitura arbitratus; utcunque tunc non adeo variantes locorum diverſorum ritus eſſent, ſed eundem litigandi modum, *qui in urbe regia, imperii capite, receptus erat, omnibus etiam in provinciis voluiſſet obtinere*. Multo minus ex me uſitatas quibuſdam male ſanis, nec honori aut conſcientiæ conſulentibus, diſcetis artes; quâ ratione confictis mendaciis, conſutis dolis, candida pro nigris ſubſtituantur, ac pro candentibus atra; quì prologo fallaci callide fabuloſa ſubnectatur factorum narratio, ut fraude & impoſturis circumventa judicantium relligio a vero aberret; quì diſſimulatis defenſionibus, caro liceat pretio ſua adverſariis venalia præbere ſilentia; qui de induſtria bellum trahatur juridicum, directæ, obliquæ nectantur moræ, diffiſſis ordine religioſo in plures dies iis, quæ unâ facile potuiſſent vice abſolvi, atque adeo lentiſſima contra aliorum iniquitates ſic propinentur remedia, ut diverſiſſimis ambagibus improbiſque dilationibus confecto clientium jure, non ante ad ſententiam properetur, quam abſumta in expenſas hæreditate vel re litigioſa, triſtem miſeri exitum ſenſerint, qui eos poſt diſperſum expectat patrimonium. Nolim inſectari plenius aut propalare flagitioſam quorundam in hiſce aliiſque licentiam, ex quorum nequitiis nunc eo prope deventum eſt, ut male apud plebem cauſidicina audiat, & ordo totus dehoneſtetur, ac in humillimum prolapſus contemtum fere publicâ ſordeſcat infamiâ, neque minus ſe tandem litibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

ſubductos lætari videantur iiſdem antea irretiti, quam Theſeus, cum Plutonis ſolutus vinculis ſolem primitus aſpexit. Quanquam nec unius alteriuſve ex crimine omnes vel æſtimandi ſunt vel judicandi; dum multi ſuperſunt, quorum menti melior caſtiorque ſedet ſententia; qui duce juſtitiâ, prudentiâ comite, ſtipante candore, ſic cauſas orant, ſic tractant lites, ut recti verique prima, altera demum honeſti lucri ratio ſit; ut ſalvâ demum famâ, illæſâ animi integritate nummos quærant cenſumque adaugeant, fidem pariter & ſalutaria clientibus conſilia ſubminiſtrantes, ac curantes ſummopere, ne vel ignavâ & muliebri debacchatione forenſem polluant eloquentiam, vel diſſenſiones faciant recrudeſcere, detortis in litium novarum occaſionem iis, quæ ad componenda partium divortia videbantur adinventa. Hi ſunt, qui ad inſtar Olympii verticis, ſupra nubes ſurgentis & perpetua ridentis ſerenitate, convicia talia infra ſe putant, ſecuri contumeliarum, non ſibi, ſed ſontibus deſtinatarum, certoque perſuaſi, uti Princeps bonus juxta illud Titi Auguſti, ita & candidum cauſarum patronum affici injuriâ non poſſe; dum innocens vita & agendi ratio omnes, ut ut magnâ velut tempeſtate collectos, maledicentiæ torrentes repellit. Sed nec prolixius jura locorum ſingulorum municipalia excutienda autumem, aut longâ ſerie conglomeranda. Præterquam enim, quod infinitæ prope minorum majorumque univerſitatum leges in unum conſpirare videantur ſenſum, ac plurium inſtar linearum a circulo idem in centrum concurrere; etiam labore leviore

viore quiſque prius univerſalibus recte inſtructus hodierni juris dictatis, diſcet quæ a communi recedant uſu in eâ regione, in quâ ſuam clientibus operam eſt addicturus. Quin potius ea diligentiore tractanda ſtudio, quæ vel univerſo Belgii populo, vel partibus ejus haud ignobilibus recepta, & communiore admiſſa uſu, firmiora cunctis præbebunt fundamenta, quibus deinceps cauſarum ſingularum momenta ſuperſtrui queant atque inniti. Sat magnus hic nobis ſatiſque diffuſus erit apertus ex ſpatiandi campus, ſpatium ſat amplum, in quo ſeſe palæſtritæ noſtri cum fructu exerceant. Præſertim, cum nec illuſtrium in Belgio Virorum exempla deficiant atque autoritas; qui licet forenſium eſſent artificiorum actionumque callentiſſimi, non tamen confundendos cum ipſo jure cenſuerunt peculiares hujus aut illius tribunalis in lite peragendâ uſus; nec congerendis plenâ manu legum municipalium determinationibus, diſſidiiſve minutis prolixe monſtrandis, occupari ſeſe paſſi ſunt, ſed generaliora Bataviæ viciniſque regionibus probata jura, ac obvias in vitæ curriculo quotidiano conſuetudines, ordine legitimo digerendas putarunt ac enarrandas: hanc vere dignam rati ingeniis ſuis laudatiſſimis & eruditione inſigni operam, ſeris quoque profuturam nepotibus; ſive juriſprudentiæ totius principia ſibi excolenda ſumſerint, ſive partium quarundam pleniorem meditati fuerint elucidationem. Neque in hiſce Auditores, mihi propoſitum aut proprio natare cortice, aut ea ſtatuere nunc vel frequentata uſu vel abolita, quæ cerebri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

na forte æquitatis ratio temere fuerit viſa dictare: ſed prudentiorum inſiſtens veſtigiis, tametſi paſſibus fortaſſe non æquis, eam in plerisque mihi ſentiendi docendique formabo legem, ut vix alia in medium adducam, quam quæ notæ autoritatis juriſconſultorum roborata conſenſu, certiorem poſſint apud alios fidem facere. Cui enim veſtrum non exploratum eſt, quam in innumeris animus in ſuſpenſo hæſurus ſit, interque incerta fluctuans aſſenſum ac determinationem in partem alterutram cohibiturus, niſi re judicatâ vel juriſprudentiæ anteſignanorum teſtimonio firmatus eſſet? Jus nempe aliquando conſtitutum invenias: an vero deſuetudine non inumbratum fuerit, ignarus; an unquam viguerit, urcunque promulgatum, incertus; an non certam a conſuetudine acceperit interpretationem, plane dubius. Quid in igitur ex hiſce petieris tui ipſius pariter ac aliorum confirmationem? Si vacilles, ſi titubes, quodam quaſi argumentorum fluxu refluxuque jactatus, in eo potiſſimum jure, quod certâ deſtitutum ratione naturali, ex ſolâ fere populi rebus ipſis & factis declarata dependet voluntate; unde obſecro magis illuminaberis, quam depromtis medio e foro peritorum ſuffragiis, qui non contenti glorioſa voce laborantibus tuliſſe opem, ſcriptis etiam publicis libmata ſua de jure noſtrate commiſerunt commentaria, atque ut tunc exemplis aliorum, ac fide, ſua corroborabant; ita nunc nobis exemplum abunde præbere poſſunt, ac non ſpernendam temere autoritatem. Tametſi nec antiquiorum reprobandus videatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

deatur in univerſum aut rejiciendus in idem placitum nobiſcum conſenſus, nec pro vili folio, ventorum & auræ ludibriis exponendo, habenda ſint ipſorum volumina, quaſi mentium eruditarum neque curam mererentur neque examen, ſed ineptis erroneis dudumque ſepultis turgerent opinionibus. Receſſerint ſane illi ſubinde ſuis in libris, a conſentanea Juriſconſultis gravitate; barbariem deliria ſomnia nugas miſcuerint, regulas tradiderint temere conceptas, male concoctas, imprudenter applicitas: nullus tamen eo, ut opinor, proceſſerit, ut non luto tali multum auri gemmarumque ſparſim permixtum credat. Collegerunt ſcilicet illi ſpicas, quin & magnam excuſſerunt partem; at cum frumento multum paleæ congeſtum in horrea; nucem confregerunt, ſed nucleum exhibuerunt ſuis etiamnum putaminibus involutum. Quis vero tam ineptus fuerit, ut paleæ cauſâ triticum, ut nucleum propter putamina, ut cum limo terræque fœcibus gemmas aurumque perdendum credat ac abjiciendum? Præ cæteris vero roburaddet, ſi contradicto aliquando judicio, magis, ſi rerum perpetuo ſimiliter judicatarum ſerie, vim prope legum obtinente, firmari queant, quæ hodierno feruntur jure vigere. Quis enim (ut mittam ſuprema vicinarum regionum tribunalia) non maximam veneretur Ordinis Utriuſque Ampliſſimi Hagienſis autoritatem? præſertim ſi ſacratâ animorum conſenſione in unum omnes conſpiraverint, ac concordi lites diremerint ſententia. Nonne, quod de Juriſconſultorum reſponſis olim Juſtinianus; id nunc de Curiæ

utriuſque emiſſis unamini ſuffragio rebus judicatis vere & jure quodam propiore deprædicaveris, *horum* puta *omnium ſententias & opiniones eam tenere autoritatem, ut judici recedere ab eorum reſponſis* haud tuto liceat? Ventilata primum univerſa, & multum diuque librata virorum conſultiſſimorum induſtria, ore, ſcriptis, rationibus, autoribus litem adſtruentium: ſuccedunt mox, exacto omnium inſtitnto examine, manum ultimam imponentes, quorum in poteſtate ſunt fata clientium, judices integerrimi. Quis ergo non exiſtimet, hic nimia laboraturum præſumtione, quiſquis hiſce ita junctis obniti vellet vel auderet reſiſtere, quiſquis ſuum tot exercitatis aliis anteponere judicium, irrito procul dubio tandem receſſurus conatu? Non meum eſt neque hujus loci, auditores, prolixis laudum præconiis extollere celebratiſſima illa, de quibus adeo magnifice cives, magnificentius exteri paſſim ſentiunt, provinciæ tribunalia, omni tempore inſignibus ornata Viris, qui, dum unicam ſibi judicandi legem poſuerunt legum dictamen, nihil etiam antiquius habere ſolent nihil religioſius ipſa ratione juris & æquitate; caventes ſollicite, ne, paratâ licet invidiâ odio imminente, a recti tramite recedant, vel a judiciorum deflectant ſanctitate. Quibus haud ſtat pro ratione voluntas & quidvis ſentiendi temeraria libido; nec mos eſt vel affectuum ſubeſſe imperio, vel impotente partium ſtudio abripi, vel injecto terrore corrumpi. Trahant utcunque clientes in ſuæ cauſæ patrocinia illuſtres dignitatibus aut ſanguine familias,

lias, per ſe per alios creberrime interpellent, Superos & Acheronta movere nitantur, pulſent ambitioſe nobiliores judicum animos: ſtabit quidem ſingulis apud eos ſuus honor inconcuſſus, & nativitatis prærogativa, ſtabit ſalvus amicitiæ familiaritatis cognationis gradus; ſed tamen uſque ad intemeratas tantum Themidis aras: dum odii amoris invidiæque cauſas procul habentes, nec juſtitiæ fallacem aſſentationis fumulum præferre docti, omniſque largitionis, etiam crimine carentis, expertes, conſtantem cuique ſuum adjudicandi conſervant voluntatem. Quorum ideo deciſiones non ſola Batavia, non Belgium tantum unitum, ſed univerſus prope, quâ late patet, orbis Europæus in pleriſque perquirit, ſequitur, veneratur. Quorum auditoria ob id Aſtreæ delubra cluunt, veritatis propugnacula, æquitatis ſedes; ubi nihil plebejus metuit a magnate, pauper a divite; ubi ignota avaritia, rapacitas, infamis mercatus, ſordeſque aliæ; nota ex adverſo integritas, fides, ſimplicitas, in cognoſcendo diligentia, in judicando candor; atque ita tutam tandem ſtationem invenit juſta clientium cauſa, variis licet ac tumidioribus quandoque jactata litis calumnioſæ procellis. Neque tamen ideo hæc univerſa impedimento ſunt, quo minus ſubinde etiam contra pronunciatas in re ſimili ſententias nitatur fide optimâ, ratione legitimâ, abſque ullâ forenſis corruptelæ labe, cauſarum patronus; ac quamvis victrix cauſa Diis placuerit, victa tamen etiamnum placeat Catoni, non tertio iſti e cœlo delapſo, ſed prudentiæ ſapientiæ ſcientiæ gloriá conſpicuo juris

vindici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

vindici aſſertorique. Quis enim veſtrum ignarus eſt, leviſſimas ſæpe circumſtantias alium cauſæ litigioſæ vultum tribuere, aliam exigere determinationem; nec raro parilem prætendi litem, quæ penitius collata cum aliâ, in multis alio venit jure cenſenda? Aut quem veſtrum lateat, non eâdem judicum conſenſione quævis ambigua dirimi cauſarum fata; ſed eſſe quandoque negotia adeo intriçata atque ſalebroſa, adeo dubiis agitata opinionibus, ut pleniſſime inſpectis omnibus, ac inſtitutâ diligenti cunctorum ventilatione, verſatiſſimi necdum vacillare deſinant ac dubitare, utrius cauſa juri magis ac rationi conveniat, utrius cauſidici peroratio, firmiore ſubnixa fundamento, caſtigatior ſit aut incorruptior. Ubi ergo poſt examinata perplexa litium volumina, non omnem tollentia titubationem, in ſuffragia eundum eſt; quid mirum, obſecro, ſi non unanimi ſemper damnatione mactetur reus, actorve ſuccumbat? Quod ſi diſſidere de re eâdem plures licuerit, non incolumi tantum amicitiæ vinculo, ſed & illæſâ conſcientiæ integritate; ſi Mulciber in Trojam, pro Trojâ Apollo ſteterit, & æqua Teucris Venus fuerit, iniqua Pallas, atque ita variæ & contrariæ cœlitibus arriſerint ſententiæ; ecquid ab humanitate credemus alienum, ſi non eadem ſemper in ipſis quoque juris controverſiis determinandis ſtet omnibus, ut ut doctiſſimis, opinio; ſed, ut olim Sabiniani Proculianique, inter ſe non raro diſcrepantes, etiam peritiſſimis incertum reddebant litium eventum, ita quoque in maximâ præſente diſſentiendi libertate ſtudia in contraria trahantur aliquando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

quando qui tribunalibus præſunt Patres conſcripti: dum nec juri hodierno ſui deſunt Capitones Labeoneſque, Sabini ac Proculi, & diffuſa invenitur per plures plurium pagellas diſcordes ejus interpretatio. Quo ipſo proinde fieri nonnunquam poteſt, ut impare judicantium exiſtente numero, unius ſuffragio victor receſſurus ſit victuſve cliens: dum id quod ſex decernendum putavetint, aliis licet quinque reluctantibus, rei judicatæ vim obtinebit, majore parte ad ſe minorem, vulgatis ex juris principiis trahente. Quid vero, ſi uuus pluresve impleta mortalitatis vice rebus exemti humanis, opinionis diverſæ fautores nacti ſint honoris ſui ſucceſſores; an non merito victoriam in lite parili ſperabit, atque etiam re ipſa triumphum aget, numeroſiore judicum voto victor, qui alios non ita pridem judicio ſuperatos ſuam viderat plorare jacturam? Nec aliam profecto ſatis certam, quin nec probabilem invenerimus rationem, cur diſſonæ ſententiæ, pugnantia Patrum decreta, temporibus diverſis ab eodem ſubinde fuerint tribunali profecta; aut cur ſupremis quandoque litium diribitoribus diſpliceat, quod antea medii quod imi ſubſellii placuerat judicibus; primâque inferiores ſententiâ ſublimioribus in curiis ſeſe ſuperiores ſperent evaſuros. Clientes certe quoties conſidero, quibus etiamnum vel appellationis vel ſupplicationis eſt ſalvum ſolatium, eos illis haud putem diſſimiles, qui prælio quidem victi, at non bello, receptui cecinerunt, majoribus ac validioribus rationum autoritatumque copiis juridicum mox denuo duellum inſtauraturi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Unde & non raro victores ipſos videas a tranſactione non prorſus alienos; ſatius exiſtimantes, aliquo dato retento vel promiſſo a lite diſcedere, quam novâ per adverſarium acie oblatâ, incertam experiri dubiamque certaminis repetendi aleam, & obſtinata juris adjudicati defenſione cuncta ſervare vel perditionis exponere periculo. Ut autem non eadem uſque rebus judicatis, ſic nec juriſperitorum reſponſis æqualis ubique tribuenda autoritas, ſive ſuis juverint clientes conſiliis, in quibus ſæpe ſat lucidæ apparent affectuum ſtudiique in cauſam ſcintillæ, ſive nullo litis pendentis intuitu animi ſui ſenſa doctis putaverint ſcriptis enarranda. Quamvis enim haud facile a receptis ſit reſiliendum opinionibus, ac parum a temeritate abeſſe videatur, qui ſuam voluerit ſententiam hominum prope infinitorum maturis probeque expenſis anteponere aſſertionibus: attamen nec adeo pertinacem quem eſſe aliorum aſſeclam ulla coëgerit neceſſitas, ut non in recte tantum prolata, ſed & in perperam dicta foret jurandum; ac non potius, relictis aliquando minus tutis opinionum communium latifundiis, præteritis Doctorum plurium impeditis itineribus ac diverticulis, ſine crimine vel rationi auſcultandum eſſet, vel major paucioribus adhibenda fides. Scilicet, ut rem in pauca conferre liceat, an mores, an conſuetudines, an jura evidenti haud nitentia ratione naturali, quotidiano ſerventur uſu, non aliunde rectius quam autoritate firmaveris; nec facile metuas, ne magnos patrii juris ſecutus explanatores, inconcuſſam prope facientes in hiſce fidem, temere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

temere ducaris ad legem errandi. In cæteris, certo non deſtitutis juſtitiæ & æquitatis fundamento, primas ſane ratio quidem teneat neceſſe eſt, ſed & autoritas ſecundas. Cum enim, ut nunc homines tellus alit, nullius ratiocinatio tam ſit exacta, ut non aliquando fallat, ac in nullo penitus aberrare divinitatis potius quam mortalitatis ſit; an non majus putabitis acceſſurum pondus, majorem opinioni fiduciam, ſi alios idem quoque vobiſcum ſenſiſſe conſtet? nonne volupe erit, id, quod recta ratio perſuaſiſſe viſa fuerit, quod ſatis forti argumentorum corona cinctum creditis, prudentum quoque reſponſis probari? Non adeo ſane humiliter de ſuo ſuorumque collegarum præſumſerunt judicio ampliſſimi Neoſtadii, Corenii, Radelantii, Sandii, alii, cum Batavicas Ulrrajectinas Friſicas aliaſque chartis committerent deciſiones. At hi non contenti ea recenſuiſſe, quæ a tantornm virorum, Romani Belgicique juris peritiſſimorum, velut inſtructa phalange profecta fuerant, accitis inſuper undiquaque (licet parcius Neoſtadius) peregrinorum etiam ſuffragiis cenſuere munienda: non ſufficiente ipſis, quod orbi conſtaret, dixiſſe Curiam, ut Pythagoreis olim ſui Doctoris effatum; ſi non aliis idem quoque placuiſſe, ſtudioſe obſervaſſent.

Hac igitur via tanquam maxime regia, his viæ ductoribus atque comitibus, in explicando jure hodierno progrediendum cenſeo, Auditores ſpectatiſſimi: nec dubium, quin feliciſſime partes haſce impleturi eſſent diſertiſſimi plures cauſarum oratores, Servii & Cicerones ævi noſtri, præclara fori lumina at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

na atque columina; in quibus concurrere ex vero dixeris, quicquid eloquentiæ Ulpiano, quicquid doctrinæ Calliſtrato, quicquid acuminis Papiniano, quicquid nervoſi Paulo, quicquid elegans fluidum floridumque Scævolæ Cajo Celſo aliis Romani Juris ſacerdotibus ſuo invenitur merito tributum. Sed dum hos publica, dum Curiæ judicum, dum clientes ſibi vindicant, conſiliis cauſiſque tractandis quotidie diſtrictos, impoſitum mihi ſubibo munus: ea traditurus, quæ noſtratium ſcriptis edoctus, rationibus inſtructus, quodam forte etiam uſu expertus, ſcio in ipſis obtinere rerum argumentis, aut non ſine victoriæ ſpe poſſe defendi: nullo tamen novandi ſtudio, nulla cenſurarum in alios libidine, nulla quoque, ſi quando videbor humani quid eſſe paſſus, inepta dictorum tuitione vanaque incruſtatione, qua ſæpe graviores lapſui primo errores accumulari, ac intricata reddi perplexiora conſtat. Neque enim adeo impotentem me ſuſceptarum ſemel opinionum fautorem profiteor, ut non melioribus cedere, doctioribus aſſurgere, generoſum pariter ac glorioſum putem; mihique gratulandum cenſeam, ubi cum Papiniano fuerim accuratiore Sabini ratione in contrariam pertractus ſeutentiam, atque ita intra veritatis circulum mature reductus. Ut de felice in hiſce eventu, de demerendo applauſu publico, multa aliis mihique ſpondeam, multa promittam ambitioſe, uti mea non fert conditio, ſic nec a nimiæ præſumtionis labe alienum fuerit. Quin experiamini potius re ipſa mecum, Nobiliſſimi Juvenes, Aſtreæ alumni, quid humeri mei, quid veſtri ferre va-

re valeant, quid ferre recuſent. Certenus una, ſimul curramus, ſimul in hanc deſcendamus arenam, nec ſorte veſtra nec veſtris honoratis indignam natalibus. Anteceſſorem habebitis, ſeu malitis, ſocium ac commilitonem, qui id unum vobis audebo polliceri, me, Deo vires largiente, ſedulo in id allaboraturum, ne apud vos ignaviæ vitium atque negligentiæ incurram. Videtis hactenus non annis gravem, non ætate feſſum, non viribus attritis. Necdum ſuperato juventutis flore vobis inſerviam, veſtriſque, quantum in me eſt atque ipſi volueritis, commodis invigilabo. Annoſas arbores ajunt plerumque non tam luciniis ad cantum, quam bubonibus ad planctus & prænunciam ſui funeris næniam, deſormatum calvitie verticem præbere. Hujus & ipſe memor, quicquid juvenile reſtat quicquid vegetum, veſtros in uſus conabor impendere; lætiora vitæ meæ ſpatia vobis dicabo, donec vel maturius ad meliora tranſlatus, vel vigore corporis everſo a vobis ac univerſa juvenum corona deſertus, otium quæram non in honeſtum, ac veteranis horum caſtrorum militibus non prorſus inglorium. Interim, præter Romana jura, domeſtica quidem inſtitutione vobis ita deſiderantibus explicaturus accuratiſſimam Viri magni Hugonis Grotii manuductionem ad Juriſprudentiam Hollandicam, addito ſubinde conſilii juridici conſcribendi penſo: publicis vero recitationibus, juxta ſeriem vitæ humanæ, qua cum judicio ſua quiſque tractat, enarraturus, quid in uuâquâque ejus parte indies obvium, in foro verſanti haud tuto ſit ignorandum; ſive de nuptiis primis & ulte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

rioribus, maritali poteſtate, connubiali bonorum ſocietate, pactiſque dotalibus, ſtante vel ſoluto matrimomo vim exſerentibus, dubitationes occurrant; ſive de contractibus, mercaturæ mariſque juribus, fendorum acquiſitionibus ac conſervationibus aliiſque inter vivos actibus, oriantur controverſiæ; ſive de ſupremis morientium voluntatibus & ab inteſtato ſucceſſionibus difficultates emergant.

Quotquot igitur ad laudem, quotquot ad gloriam nati videmini, quotquot in hoc educamini, ut veſtro labore induſtria veſtra aliis otia procuretis, ac pro communi maxime deſudetis utilitate, patiamini quoque, dum adhuc juvat Muſarum in ſinu hic ſuaviter foveri ac deliteſcere, vos iis imbui, quæ dein negligere non ſit neceſſe. Hæc vobis mature præſidia conquirite, quibus deinceps ad altiora ſurgere poſſitis honorum famæque faſtigia. Cum ipſo jure hodierno præludia quoque fori in adornandis juris reſponſis aliiſque ſimilibus, ne, quæſo, ſpernite vel flocci facitote. Quid enim cenſetis impuliſſe Græcos, ut ludicra ſolenni more, ſtatoque tempore, in juventuris gratiam celebrarent certamina, ut ludos Olympiacos alioſque, Romanis deinceps in circo magna ex parte probatos? quam ut re exigente ad ſeria quoque non eſſent inepti. Quorſum adeo magnis elatos encomiis, Pindaricis laudatos carminibus; quorſum oleá coronatos in iis victores, curruque ſublimes non humili per patriæ portas, ſed auguſtiore per disjecta mœnia, ingreſſu dignos? niſi quod ſpem de his concepiſſent eximiam, fore, ut aliquando juſtis præliis triumphatores ad patrium eſſent redituri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

dituri limen. Pari ergo ratione vos quoque prælu-dite, faciendo diſcite, hodierni juris elementa ſic modico tempore, minuſque anfractuoſo, quam qui-dem aliàs, labore hauſturi. Si maxime ab aliis ab-ſterreremini tanquam minus utilibus, ſi in hanc quoque velletis proruere inſaniam, ut juxta tempo-rum & ſeculi hujus infelicitatem putaretis omitten-da, quæ non ilico lucellum tribuunt; ut inepta cre-deretis, quæ non confeſtim ſuum oſtentant & offe-runt prope præſens emolumentum: hic tamen eo potiſſimum vos invitari fas erit ad juris hujus impe-trandam peritiam, quod protinus poſt ſementem meſſem quoque abunde pollicetur uſumque inſi-gnem: dum, poſitis in Academicâ palæſtrâ hujuſce rudimentis, in continenti vos ad forenſia poteritis accingere negotia, & ad illuſtre illud Hagienſe pra-xios emporium, vel celebrem alium patrii juris mercatum tranſlati, feliciter cœpta ulterius blan-do continuæ exercitationis calore fæcundare: at-que ita fiduciam addente experientiâ, non tunc amplius tyrones aut velites, ſed gravioris armatu-ræ in caſtris hiſce milites, rebus ipſis factiſque mon-ſtrare, non pænitendam vos civilis ſapientiæ, id eſt, Romanæ pariter Belgicæque juriſprudentiæ, paraſſe penum: unde deinceps Rempublicam, clientes, conſanguineos, ope conſilio juvare; labo-rantium ſpem vitam poſteros voſmet denique ipſos tueri valeatis; & publice privatimque dulce prudens ac glorioſum univerſis adverſus læſiones & calcata humanitatis jura præbere præſidium.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 109